


# De principiis Geometriæ

gissimum interuallum, quod est inter corpus lunæ & corpus solis. Fieri tamen potest, ut coniunctis sole & luna secundum longum in linea meridiana, linea uisualis coniunctionis atque linea ueræ coniunctionis coincidant in idem punctum temporis & nulla intercipiatur mora inter utramq; cōiunctionem.

*Hypotenusa.*

Porro in mensurationibus rerum uocant hypotenusam lineam uisuaalem, quæ ab oculo fertur in conum rei uisæ, catheto & basi ad angulum rectum in re ipsa concurrentibus, etiam si oculus uidentis præter conum rei eleuatae aliud nihil uideat de re illa. Excipimus hîc baculum Iacob, ut uocant quoddam metiendi res altas instrumentum.




De lineis sinus recti & sinus uersi, primi & secundi, infra dicemus ubi peruenimus ad explicationem circuli & arcuum.

*De speciebus lineæ curuæ.*

**L**inea curua Heb. *מגוּן* multiplex est, quædam enim circumferens dicitur, quædam flexuosa, quædam spiralis & multæ species irrationalium linearum. Linea circumferens est circulus, semicirculus & arcus circuli.

*Linea circumferens.  
Flexuosa.  
Spiralis.*

Linea flexuosa est quæ in suis partibus inæqualiter à medio eleuatur. Spiralis uerò linea est quæ circumducitur sed nunquam redit in eundem punctum, & hæc à Græcis uocatur *ἐλικοειδής*, id est, reuoluta seu circūuoluta, puta circa centrū in plano, ut serpens se gyrat in spiram, uel circa columnā, ut in figuris columnarum & cochleis prælorum, ubi hæc linea à fabris lignarijs trunco duriori in-



*cisa*